

Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM INAUGURALEM,
DE
FIDE
APOSTOLORVM,
TEMPORE CHRISTI IN HIS
TERRIS DEAGENTIS,

SVB PRAESIDIO
IO. GEORGII ABICHTII,
S. THEOLOGIAE DOCTORIS, EIVSDEMQUE
PROFESSORIS PVBLICI, SENATVS ECCLESIA-
STICI ASSESSORIS PASTORIS ET SVPERIN-
TENDENTIS GENERALIS,

IN ALMA VITEMBERGENSI,
PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES RITE
CONSEQVENDI,
ERVDITORVM DISQVISITIONI
DIE II. AVGVSTI MDCCXXXV
SVBIICIT

M. SIGISFREDVS BECKIVS
PASTOR CYGNEENSIS, EIVSQUE DIOECESEOS
SVPERINTENDENS.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA FICHSFELDIANA



94 A 7378



VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISS
MIS, IVRECONSULTISSIMIS AC
PRVDENTISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS
SYNDICO
PRAETORIBVS
CETERISQVE
ORDINIS SENATORII
ADSESSORIBVS
GRAVISSIMIS,
INCLYTAE VRBIS CYGNEAE
PATRONIS ATQVE FAVOR
BVS SVIS SPECTATISSIMIS

INC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AETERNAM GRATIAE MENTIS TESSERAM
CVM PIO VOTO ET APPRECATV OMNIGENAE
PROSPERITATIS AC FELICITATIS

OMNI, QVA PAR EST, OBSERVANTIA SACRAM
CVPIIT

AVTOR

M. Siegfried Beck.



I. N. I.

§. I.



Aput profecto et propugnaculum Proe-
 coelestis ueritatis, in quo, tan-
 quam centro, omnis cardo Chri-
 stianae doctrinae uersatur, Arti-
 culus de fide dici summo iure
 meretur. Testem in eo ipsum
 Lutherum habeo, qui doctrinam
 de fide *ἀρεῶν* Christiani dogmatis appellat. Gna-
 uam hinc inde omnes nauarunt operam nostratium The-
 ologorum, ut suum in eius dilucidatione et ulteriori
 ampliacione comprobarent studium. Varias enim ex-
 tant Dissertationes, quibus sanctorum sigillatim homi-
 num fides fusius est descripta. Hinc Magnificus D.

A

CHRI-

CHRISTIAN. FRIEDERICVS BOERNE-
RVS, ex Hof. Cap. XII. commat. 4. anno 1708. in Diff.
fidem Iacobi prolixius delineauit. Sociam iunxit ope-
ram IO. FRID. MAYERVS, Theol. D. et Pro-
fessor Gryphiswaldensis an. 1702. in disputat. de fide sim-
plici, nec non an. 1704. de fide Christi, et an. 1685. de
fide Abrahami eruditissime scripta. Parem quoque di-
ligentiam in eo praestitit, D. IO. CHRISTOPH.
PFAFF, qui in duabus dissertationibus, altera de fide
Veterum, ex Ebr. XI, 20. Tubingae 1717. altera uero de
fide Patrum Antediluuianorum ex Ebr. XI, 1. an. 1716.
multa praeclare attulit. Alia eiusmodi scripta allegare
superfedeo. Id enim apud animum iam constitui, ut de
fide Apostolorum, tempore Christi in his terris degen-
tis, pauca edisseram, cui labori Deus clementissime
annuat!

§. II.

De fide **D**e fide itaque Apostolorum acturis, neutiquam de ea
Apostolo- fide, qua post Christi ascensionem a Spiritu Sancto
rum post arrha suae beatitudinis muniti sunt, nobis sermo est,
Christi quippe quae tanta cepit incrementa, ut etiam, testante
ascensio- Luca, dulcissimo perfusi gaudio a conspectu Synedrii
nem. discederent, digni quippe iudicati, qui ob Saluatoris no-
Aet. V. minis publicam professionem ignominia et opprobrio af-
41. ficerentur. Quid? quod tantum robur eorum fidei
accescit, ut ipsi, praesentissimum uitae periculum adeun-
tes, nullo cruciatus genere a fide semel cognita potue-
rint dimoueri, id potius honori futurum sibi autuman-
tes; traditae a Seruatore doctrinae ueritatem morte sua
obfi-

obsignare. Extant hinc inde tot tantaque luculenta eorum martyria, quibus immortalem sibi memoriam compararunt. Heus! horret sane commemorare omnes cruciatus, quos infensissimi ueritatis hostes iis intentarunt. Petrus et Andreas cruci affigebantur capite ad terram deuexo. Paulus capite truncatus. Alii alia miserrima morte sunt affecti, quod pluribus recensetur in ITTIGII Hist. Eccl. Sec. I. Nihilo tamen fecius tanta illis adhaesit *παρησία*, ut libere conspectum hostium sustinerent, et se Christi asseclas profiterentur. Ast de hac fide iam commemorata plura praefari non allubet.

§. III.

Instituti autem nostri ratio id solum exigit, ut de fide Apostolorum, uiuente Christo, plura dicamus. Fuit haec fides neutiquam naturalis, uti plures, nouarum rerum studiosi, asserunt. Siquidem post Apostolorum tempora Seculo XVI. FRANCISCVS PVCCIUS FILIDINVS Libro de efficacitate Christi Seruatoris nouos in Ecclesia ciuit motus, naturali quippe fide in Creatorem, et rationis uiribus saluari posse hominem, asserens. Sed noua haec doctrina prorsus aduersatur effato Saluatoris Io. VI, 29. ubi *οὐδὲ ἔργον* uocat, si quis credat in Deum, qui me misit. Nec patrocinantur iis scripta Apostolorum, qui potius contrarium summo nisu asseuerant. Prodeat testis locupletissimus Paulus, qui Col. II, 12. diserte ait, quod Deus fidem operetur, id quod confirmat Eph. I, 19. ubi *κατὰ τὴν ἐνεργεῖαν τῆς κατὰς τῆς ἰσχύος αὐτῆς* credere dicimur. Adstipulatur eidem Petrus 2. Petr. I, fidem, inquit, aequae pretiosam nanciscimur in iustitia Dei

Dei nostri et Seruatoris Iesu Christi. Nec Iacobus eandem excludit, diserte eloquens: Omne bonum, omneque donum perfectum, cui merito fides, pretiosissimum cimelium, annumeratur, superne descendit a patre lucis. Iac. I, 17. ut plura taceam. Cum ergo per Apostolos Spiritus Sanctus id saepius testetur, quid expedit, ut naturalem insitam illis fidem statuamus, cum Fanaticum fere quid sapiat, et nobis alia Apostolorum fidei ex adhuc dicendis origo sit aperienda.

§. IV.

De origine fidei Apostolorum in circumcisions. Plena sunt omnia antiquorum monumenta, quae uno ore profitentur, ex Iudaea gente Apostolos fuisse prognatos. Sic enim inter omnes constat, Petri, Andreae et Philippi patriam fuisse Bethsaidam; Iacobum et Iohannem Capernaumi oriundos, facile est creditu; Patrem enim habuerunt ibi piscatorem, quod liquet ex Matth. IV, 13, 21. Luc. V, 10. Matthaeum Capernaumi in Galilaea domum habuisse, historia manifeste indicat Matth. IX, 9, 10. Iudam, proditorem Saluatoris, a patria Kerioth, urbe tribus Iudae, nomen nactum fuisse, asserunt uiri docti. Iacobus Alphaei, Simon et Iudas fratres Christi aperte dicuntur Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3. Simon autem in primis a patria in Scriptura S. passim uocatur Cananaeus. Solius Thomae et Bartholomaei patria ignoratur. Fuisse quidem Thomam Galilaeum, cuius patria circa mare Tiberiadis fuit, ex historia Ioh. XXI, 2. colligitur, id quod alii fusius tractarunt, et longius edisserere non expedit, uid. BVDDEVS in Miscell. S. P. III. p. 1194. Id modo impraesentiarum pro certo colli-

ligitur, Apostolos Iudaeorum stirpe prognatos, signum circumcissionis sigillum fidei nactos fuisse; quod autem omnes circumcisi fidei fuerint facti participes, uel inde constat, quod foedus gratiae hoc Sacramentum dicitur; gratiae autem nemo particeps fieri potest, nisi per fidem, et cum omnia, ad salutem necessaria, bona in circumcissione infantibus conferenda promitterentur; fides uero inter ea maxime emineat, haec ipsa illis est collata in hoc foedere. In adultis autem, quod fides iam aderat, eadem modo confirmabatur, id enim ipsius Abrahami exemplo condocemur. Cum itaque Apostoli octiduo ex lege Dei elapso essent circumcisi, fide in uenturum Messiam sic sunt donati.

§. V.

Accessit huc solers illa doctrina, qua in subfelliis Synagogarum haerentes impertiebantur apostoli, et stolorum prophetis et libris Mosaicis publice praelectis, de uenturo Messia restantibus, hausta. Augebatur tamen maiorem in modum eorum notitia, et doctrina Pharisaeorum fermento antea commixta purior illis proponebatur, cum ex ipsius Saluatoris mellifluo ore penderent, et dogmata, aeternae salutis necessaria, solertissime proposita exciperent; Tunc enim oculi eorum clarissima luce collustrabantur, ut perspicerent, quod sceptrum de tribu Iuda sit ablatum, secundum templum ex Haggai uaticinio uastatum, septuaginta hebdomades praeterlapsae; Leuiticus cultus abrogatus, et inde demum certitudine infallibili ex complemento, puta, omnium uaticiniorum, colligere illis licebat, quod Christus uerus sit

Rom. IV,

II.

Messia.

Gen.

XLIX. 10.

Hag. II,

7. 9.

Mal. III. r.

Dan. IX,

24.

Ier. III, 5. Messias. Maius deinde robur eorum fidei accedebat, cum
 coll. Dan. perciperent, Iohannis discipulos, Christum, num uerus
 IX, 26. sit Messias, quaesitum ablegatos, tam insigne testimoni-
 um ab eo audiuisse, claudos nempe recto gradu incede-
 re, surdos commode audire, et ut multa paucis comple-
 ctar, inualidis suam ualitudinem esse restitutam.
 Delituit tamen nihilo secius in eorum mentibus uitiosa
 illa doctrina de mundano regno a Messia iustruendo,
 quae posthac magno erat impedimento, quo minus ue-
 rum ac genuinum uerborum Christi, de sua passione
 et resurrectione multa praefantis, sensum assequerentur.

§. VI.

De Apo- **H**aud minora etiam augmenta fides Apostolorum in-
 stolorum de est nacta, cum ab ipso Seruatore ad munus Apo-
 fide ex stolicum et hominum piscaturam rite obeundam uoca-
 Christi rentur. Tanta enim efficacia Saluatoris uerbis inerat,
 uocati- ut mox dicto eius promptum praestarent obsequium.
 one. Obganniunt equidem hic nonnulli, nempe PORPHYRIUS
 et IULIANVS, omnem historiam esse commentitiam ac fic-
 tam, cum nullus sanae mentis compos, ignoti hominis
 uerba audiens, iis statim obsequium sit praesfiturus.
 Sed quod pueri in faba hic inueniunt. Iam dudum enim
 HIERONYMVS ostendit, subitaneum obsequium neu-
 tiquam illis uitio uerti posse. Fama enim de Seruatoris do-
 ctrina diffitas etiam terras penetrans, et tot tantisque mira-
 culis confirmata, ad Apostolorum aures peruenerat, quos
 adeo commouit, ut postea, ipsa Seruatoris uoce perce-
 pta, plenarium eius tractum in mente sua sentirent. Si
 enim

enim magneti lapidi uis ferrum attrahendi inest, quanto maiori, quaeso, facultate pollent Soteris uerba, quibus corda discipulorum ad se trahere poterat. Nec ulla animi leuitatis macula ea propter sunt conspergendi, quod, ne suis quidem salutatis, Christum fuerint sectati, cum Scriptura Elisae haud uertat uitio, quod uocanti Eliae i. Reg. XIX, 19. statim patulas aures praebuerit.

§. VII.

Nec hoc scitu necessarium est praetermittendum, De fide quod Apostolorum sacro fonte initiatorum fides maxime sit corroborata. Extra omnem enim dubitationis aleam positum credimus, Apostolos baptismi sacramento fuisse tinctos, quamuis Celeb. PFAFFIVS in Inst. Iur. Eccles. Lib. II. p. 82. id perneget; alias enim repudiassent consilium Dei, non suscipientes baptismum a Deo in N. T. institutum Luc. VII, 30. Haec autem quaestio magis mouetur, a quonam Apostoli sint baptizati? Quosdam ex ipsis Iohannis Baptistae fuisse discipulos, ex Ioh. I, 37. seqq. constat, qui sine dubio ab ipso baptismum susceperunt. Apud NICEPHORVM historia Ecclesiast. L. II. Cap. III. p. 134. ex EVODII Epistola adstruitur, Christum manibus suis Petro baptismum contulisse, qui deinde fratrem suum Andream et filios Zebedaei baptizauit, ab illis uero reliquos sacro flumine adpersos. Ast B. MAYERVS in Disputat. de eo: An Christus Petrum baptizarit, Lipsiae 1672. habita, rem sedulo excussit. Num uero Christus, ut alii uolunt, Apostolos sacro fonte tinxerit, incertum est, cum ualde inter Theologos disceptatum sit, an Christus unquam manibus suis

De fide
Apostolorum
e baptismo.

fuis baptizauerit, nec ne? Quam omnem controuersiam DEUTSCHMANNVS in Disp. de purificatione per רוח אלהי facta, Vitembergae an. 1695. habita, item FEVSTKINGIUS in sermone baptismali, concionibus eius miscellaneis inserto, nec non IOH. VOLCKMARVS in Theoremate de baptismo 1595. Vitebergae habito, adfirmatiue dirimunt; alii uero Theologorum uariis ex causis pernegant. Sed haec quaestio, ut monet D. SCHERZERVS in Breu. Extens. c. X. th. 8. non est de fide, sed Critica et Hermeneutica, non Dogmatica. Nobis impraesentiarum diutius eidem controuersiae inhaerere non uacat, plura hac de re, qui legere cupit, euoluat WOLFFII Curas Philologicas p. 824. It. *Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen* an. 1731. p. 733. Concludimus uero hoc argumentum MARTINI CHEMNITII, Summi Theologi, in harmonia Euangelistarum uerbis: Christum baptizatos seruos habere uoluisse, per quos alios baptizarit, per hunc autem baptismum Apostolorum fidem esse corroboratam.

§. VIII.

De fide **I**psam Apostolorum notitiam quod attinet, tam praestantem rerum apparatus et scientiam sibi comparalorum, uerant, ut omnes fere reliquos homines tunc temporis quam cre-scitu superarent; Sic enim probe perspectum habebant, diderunt. quod uerbum Dei γεννητον aequae, ac Seruatoris sui O. M. προφωρον sit uere diuinum, uti profitebantur Ioh. VI. 68. Id quoque curae illis cordique habebant, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate profiterentur, quippe

quippe quod mysterium iam in V. T. satis perspicue erat reuelatum; Aequae praeterea ac Martha e mortuis resur- Ioh. XI, rectionem pro certo asserabant, ab ipso Seruatore O. M. 24. id edocti: Praeprimis autem in id sedulo annitebantur, ut puriorem de Messia profiterentur doctrinam; Sic enim uerissime penes animum erant conuicti, quod Christus sit Dei filius, quamuis Iudaei id omni nisu re- Matth. nuerent: hinc etiam Petrus publice tam insigne testimo- XVI, 16. nium edebat: Tu es Christus, filius uiui Dei; Christus illud nomen erat, quo tunc temporis appellari solebat Messias. Cum uero Iudaei tum non cre- Matth. derent, Iesum esse Dei filium, Matth. XXVI, 63. coll. XXVII, Matth. XXII, 41. et id de humili Iesu Nazareno 17- 22. citra blasphemiam dici non posse, autumarent, propterea Petrus non nude $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$, sed $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$ τοῦ Θεοῦ, iam Matth. profitetur, quasi dicat, Christum, seu Messiam, peculiari XXVI, ratione a Deo missum, Deique filium, cum patre $\mu\iota\sigma\theta\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$, 65. adeo ut qui uideret Iesum, ipsum quoque patrem uideat. Ioh. X, 30. Innuit Apostolus, quod Seruator non sit adoptiuus, sed Ioh. XIV, uerus ac genuinus Dei filius; innuit etiam per uocem 9. Christi, quod sit unctus donis Spiritus S. ad triplex officium. Eadem uerba Ioannes, adiecta tantum uoce Ioh. I, 4r. Messia, repetit, ubi obiter huc monendum, quod unus coll. Iohannes ex reliquis Apostolis deprehendatur, qui uer- Ioh. IV, bis Iudaeorum idiomati accommodatis uti afflueuit; Vi- 25. uum etiam huius rei ipsum Seruatorem habebant, qui clarissime ait: Ego sum ex Deo egressus: quibus uerbis se Ioh. IIX, non nudum hominem, aut Iosephi filium, sed $\theta\epsilon\acute{o}\nu$ $\theta\epsilon\omega\pi\acute{\omicron}\tau\omicron\nu$, 41. adeoque eum, qui a patre sit in hunc mundum missus, officiumque, quod sit praestiturus, redemptorium non pri- uata

uata auctoritate sibi sumferit, indicat, quem sensum mox secutura uerba nobis ingerunt in eodem uersu, et uerbum ἐξέρχεσθαι adhibetur, ubi probe discrimen τῶ ἐξέρχεσθαι, et ἐκπορεύεσθαι, tenendum, quorum illud de filii, hoc autem de SpirituS. processione usurpari consueuit Scriptura, illa per generationem, haec per spirationem fit; utraque tamen nobis inexplicabilis et incomprehensibilis, si ultra id, quod reuelatum nobis est, euolare aufimus. Hoc omne assertum de Seruatore ceu ueritatem diuinam profitebantur non solum; sed etiam toto corde eidem adstipulabantur, firmam in Christo, uero Dei filio fiduciam collocantes. Sicque patet, quod non nuda solum notitia; sed uerus ac firmus etiam assensus iis inhaeserit.

§. IX.

Notatur
Petrus
Chauui-
nus.

Petrus equidem Chauuinus, Theologus Gallo-Belgicus in libello de Religione naturali anno 1693. edito, apostolos insimulare conatur, quod Christum pro uero Deo non reputauerint. Et hoc maxime patere ait ex Marci IV, 41. Cum enim Christus expergefactus increpuiisset uentum, ac mari dixisset: Sile, obmutescere, magnaue facta fuerit tranquillitas, quo illustri documento diuinitas Christi eluxerit; interrogasse tamen se inuicem discipulos: Quis hic est, cui etiam uentus et mare obtemperet? Quid opus autem erat admiratione, si eum pro Deo habuissent: Nec obstare censet, quod subinde ab illis uocatus sit filius Dei; hunc enim titulum, teste, Camerone, Messiae apud Iudaeos t. t. fuisse proprium. Quod autem Apostolorum quaestionem attinet, illa non ita accipienda, ac si nesciuerint, Christum esse uerum De-

Deum; Sed hoc ipso effato potius profitebantur, nunc denuo se certiores esse factos, quod mortalium conditionem excedat Iesus Nazarenus, sitque uerus Deus. Namque interrogandi formula hunc gignit sensum: Vtique humanam sortem eum excedere oportet, qui leges dat mari uentoque. Hoc uero asserunt, non ac si tum temporis primum fuerint edocti, Christum esse uerum Deum; Sed quod fides illorum hoc miraculo confirmata, uires nouas ceperit ac incrementa. Si autem uel maxime concedatur, apud quosdam Ebraeorum, nomen filii Dei dignitatis saltem et praestantiae fuisse titulum, omnes tamen adeoque ipsum Petrum in hac fuisse haeresi, uocemque istam ita accepisse, probari nequit. Et sane Iesus Petrum, professionem de Christi diuinitate edentem beatum non praedicasset *Marth. XVI, 17.* si uera fide in Christum non fuisset instructus, neque pro uero Dei filio habuisset. Diffuse haec excusit *D. I. O. FR. BVDDEVS*, in animaduersionibus in Petri Chauuini librum de religione naturali, quae extant in *Parergis Historico - Theologicis p. 535. sq.*

§. X.

Cum igitur Apostoli in his articulis fidei imbuti essent *De incremento fidei.* Seruatoris cognitione, haec non segnes eos, nec infrugiferos relinquebat, sed maiora incrementa capiebat eorum fides. Ita enim *Ioh. II, II.* patrato primo a Seruatore miraculo in nuptiis Cananaeis, credidisse in eum Dominum dicuntur, quae tamen uerba cum grano salis sunt accipienda. Non is nempe uerborum sensus est, quod sub initio fidei tunc demum fuerint constituti, credidisse enim

iam antea leguntur, nacti propterea praeclara a Christo e-logia, Io. I, 41. seqq. sed ex Scripturae genio alias consueto res aliqua tunc fieri dicitur, quando augetur et magis manifestatur, et sic augmentum fidei discipulorum per haec uerba intelligendum est. Leguntur equidem ibi quatuor discipuli, Andreas scilicet, Petrus, Philippus et Nathanaël adfuisse; sed conferat de reliquorum fide dubius alia modo Scripturae S. loca, inprimis uero Luc. XVII, 5. ubi cuncti unanimes uoce a Seruatore expetunt: Adauge nobis fidem; Satis enim superque intelligebant, quanta uirtus ad subeunda digne Christiani hominis officia requiratur, et quod fides, cum omnia sint impetratu-possibilia, in Christianismi tabulis utramque paginam abfoluat, Christus uero aliquoties illis *ὀλιγοπιστίαν* obiecit, ideo precantur Iesum, uelit ipse dare, quod iubeat, adeoque fidem adaugere.

§. XI.

De infirmitate fidei, qua creditur. **Q**uemadmodum autem fidei certi sunt gradus, ita etiam in aprico est, Apostolorum fidem non semper fuisse firmam; sed cum dubitationibus uariis, quas infernalis genius, Pharisaei, et carnis deprauatae labes illis instilla-uerant, saepius illis fuit collectandum. Hinc quondam euenit, ut Seruatoris discipuli in profundum maris delapsi, tempestate praeter spem orta, et uentis nauem fluctuantibus, tanto tremore percellerentur, ut quid agant, nescirent; Excitant itaque Seruatorem his uerbis: Serua nos, perimus; Expergefactus autem ille corripit eorum in fide *ὀλιγοπιστίαν*, ideo quod iam diu ex ore suo pendentes id cognitum habere debuerint, maris uentorum-que

que dominum mari suffocari haud posse, quantumvis fluctus supra nauem eleuentur; Sic sunt mixti affectus nostri saepiuscule in grauissimis tentationibus; modo abiiciunt animum, abiectum denuo resumunt. Et quemadmodum plura Apostoli de pereundo fermocinabantur, quam de spe salutis: Ita et nos in nostris aduersitatibus quiritamur, sumus timidi, tumultuamur, ut omnem expectationem pene abiecisse uideamur. Nec licet hinc inde cum Dauide semper magnanime dicere: Dominus est lux mea, Pf. XXVII. quod crebro saepius mala bonis solent misceri. Memoriae eandem ob causam prodita in Scriptura, a Spiritu S. exempla plura legimus, quae nos crebriore discipulorum *ἐλιγοπισίαν* condocent. Sic apertum indicium magnae incredulitatis in Apostolorum corde reperimus, cum Seruator quinque et quatuor millia hominum uictu pasceret, pauxillo tamen cibi praesente; Derogabant certe hac ratione multum omnipotentiae Seruatoris, sibimet ipsi, dum sua infantia Sapientiam diuinam informare satagebant, egregie sapere uisi; Miretur autem quispiam non immerito, qui factum, quod quinque panum Ioh. VI, I. sq. altera uice haud fuerint memores, nec ullam excusationem tarditas eorum cordis hac uice admittit. Plura adhuc in S. Codice extant de eorum infirmitate fidei testantia loca, quae cuilibet Scripturarum scrutatori relinquimus.

§. XII.

Deuoluimur ad Apostolorum *ἐλιγοπισίαν*, quam in sanando lunatico comprabatam dederunt. Virtutem mitate fidei equidem facultatemque eiciendi daemonia a Seruatore dei mirantur culosae.

14 DE FIDE APOST. TEMPORE CHRISTI

Matth. X, 1. erant nacti; ast eam in lunatico exercere haud poterant, hinc Christum conuenientes ex eo quaerebant: quare eiicere Daemonem haud potuerint? cum tamen antea uia a Seruatore sibi concessa eiecissent eos, aequae ac septuaginta discipuli, qui laetabundi ad Seruatorem nuntium deferebant: Domine, etiam daemonia in nomine tuo nobis obediunt, adeoque maximo stupore corripiebantur Apostoli, cum minuta aliqua ex parte sua uideretur potestas. Frustranei huius laboris in edendo miraculo causas Saluator tum scribis, tum discipulis, ipso adueniente inuicem altercantibus, nec non *διανοητικῶν* patris lunatici aequae ac Apostolorum, assignat, id quod Marcus Cap. IX, 16. clarissime indicat. Scribae enim ansam calumniandi captantes, dubio procul ex uoto haud patratum miraculo, profcindendi occasionem sibi a fortuna datam hanc rebantur, nec ullis uerbis Seruatori parfuri, quae probe noscens Saluator eos ita alliquitur: O infidelis et peruersa natio, quam diu uobiscum ero! Interpretatur equidem FRANZIVS in interpretatione S. Orac. p. 418. haec uerba de discipulis; sed suffragatur nostrae sententiae Marcus expressis uerbis c. I. et regula tritissima Logicorum: talia sunt praedicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis. Nulla enim peruersitas, nec quoad uitam, nec doctrinam, in discipulis inueniebatur, magna autem scribis inesse deprehendebatur. Incredula enim erat natio, quod neque doctrina, neque signis expugnari, aut corrigi poterat, ut fidem conciperet; Peruersa, quod nullis legibus se in ordinem redigi patiebatur, uti olim Moses populo Israëlitico, contumaciter in omnibus Deo renitenti, idem exprobrat. Laborabat insuper eodem

Coll. Matth. XVII, 17.

Deut. XXXII, 25.



dem incredulitatis morbo Pater lunatici, non tam malitia, quam infirmitate ductus, et uariis de Iesu potentia Scribarum disputationibus inuicem uentilaris turbatus. Superfunt ipsi Apostoli, qui impotentiam suam admirantes, eiiciendi Daemones, ipsum Seruatorem, causam tantae iacturae sciscitaturi adeunt. Mox autem illis detegit inopinati huius euentus causas: Propter incredulitatem uestram, inquit, eiicere Daemonia haud potuistis. Cum enim discipuli insolitam genii infernalis ferociam conspicerentur, nec magistrum suum statim praesentem, ex diffidentia quadam uerebantur, ut pares eiiectioni illius esse possent, incipiebant de promissionis Christi ueritate subdubitare. Quam illorum in fide imbecillitatem hic *ἀπιστίαν* appellat Christus, illam Codex manuscriptus COLBERTINVS in notis ad uersionem gallicam commemoratus *ἀλιγοπιστίαν* nominat. Conf. Millii N. T. Matth. XVII, 20. Altioris sane indaginis hic ea est quaestio, utrum de fide saluifica, an miraculosa Optimo Seruatori sit sermo? quam diu multumque inuicem uentilarunt B. WOLFFGANG FRANZIUS, in Lib. de interpretat. S. S. ac D. SEBASTIAN. SCHMID, in Disp. de fide miraculosa. Sed quantum nobis uidetur, luculentissime *συνάφεια* textus ostendit, de fide miraculosa esse sermonem. Conferat modo quispiam, hac de re dubius, antecedentia, in quo Soter de lunatico morbo loquitur, et consequentia, ubi hoc daemoniorum genus non nisi precibus et ieiuniis posse expelli, ait, unde mox patefcet, haec uerba agere de fide miraculosa. Cum enim fidei saluificae *ἐνέργεια* circa meritum Christi solum uerfetur, miraculosa uero solam Dei potentiam, ad eden-

da

da miracula maxime necessariam respiciat, omnino de huius, non uero illius, effectu Christum sermonem habere, palam est. Obiiciunt equidem nonnulli, de utraque fide haec uerba esse intelligenda, quod utraque fides sit ubique coniuncta: Sed repugnat huic asserto ipsa experientia. Lubens equidem largior, quod utraque fides foecia semper esse debeat, non uero iuncta ubique inueniatur. Si enim ueteris Ecclesiae monumenta perquiramus, multi obueniunt homines, qui absque fide iustificante miracula tamen ediderunt. uid. Deut. XIII, 1-3. Et sane Christus iustissimus omnium disceptationum arbiter hanc controuersiam dirimit, impotentiae huius fidei miraculosae causam indicans. Hoc, inquit, genus non nisi precibus et ieiuniis expellitur, quibus mediis fidem miraculosam maxime corroborari subindicare uoluit. Ipse Saluator opus quoddam aggressurus, precibus antea ad hoc se accinxit; Sic pasturus quondam magnam multitudinem pane et pisciculis, suspiciens in coelum benedixit: Marc. VI, 35. Sanaturus surdum, suspicit in coelum et ingemiscit: Marc. VII, 34. ut plura taceam; Ieiunio autem preces redduntur intentiores et feruentiores, prohibetque illud, ne oratio sit frigida ac somnolenta. Vid. D. GODOFREDI OLEARII Observ. ad Matth. p. 526.

§. XIII.

De de-cremen-
to fidei,
quae cre-
Non infirmitate uero solum fidei miraculosae laborant; sed et iis saepius doctrina fidei, maxime de Seruatoris passione et resurrectione captu et creditu fuit perdifficilis. Inter omnes enim est in confesso, praecipuam

puam operis nostrae redemptionis partem passionem Ser- ditur,
 uatoris absoluere, mortem et resurrectionem; hinc et quo ad
 quinquies de his Soterem fecisse sermonem, Sacri Scriptores passi-
 referunt, prima uice publice de eadem quaedam prolo-
 cutus est post ablegationem Apostolorum, paulo post
 eadem uerba coram discipulis suis iterauit. Terti-
 um hac de re sermonem instituit, sanato lunatico, et se
 una cum discipulis in Galilaeam reduce facto; Vltimum
 iter demum Hierosolymam uersus ingrediens, eosdem
 sermones de morte sua cadere incepit. Quinto deni-
 que instante nunc passionis suae tempore, praedixit ea-
 dem multoties; Destruite, inquit, hoc templum, post tri-
 duum refarciam, et alibi passim; Nihilo tamen fecius tam
 crebro passionis suae iniectae mentionis sapientissimae
 delituerunt causae. Sic enim se omniscium ostendit,
 nec quicquam inscio sibi fieri posse; omnem autem hanc
 passionem lubentem uolentemque se esse suscepturum,
 clarissime condocuit. Multum insuper hoc profuit disci-
 pulis; eradicare enim sic studuit Seruator in iis praecon-
 ceptam hanc mente opinionem, quod mundanum regnum
 sit instituturus; ne uero posthac scandalum ex sua passio-
 ne illis enascatur, praedicendo cavit, animum insimul iis
 maiorem addens ad quaeuis pericula liberrime subeunda,
 ut nullum expauescerent malum, sed spontaneo perfer-
 rent. Omnibus autem his a Seruatore tam clare et per-
 spicue propositis, grauisime tamen offendebat Soteris di-
 scipulos, inprimis autem Petrum, increpare dictis Chri-
 stum haud erubescens; Nusquam antea eo audaciae e-
 undem prolapsus nouimus, quo iam procescit, ut impe-
 tuosius cum ipso hero suo loqueretur, magnaue animi
 liber-

Luc. IX,
45.

libertate eum, tanquam incongrua proferentem, obiurgaret. Ignorans hic adhuc necessitatem crucis, putavit decori futurum Messiae, si sacerdotibus subiiceretur, et ab iis interficeretur. Eodem tamen errore et reliqui discipuli erant impediti, qui Salvatorem passionem suam praefantem haud percipiebant, et hoc uerbum, ait Euangelista, erat iis absconditum; Equidem hoc posset uideri contrarium anteriori contextui: nam si adeo rudes fuerint, ut prorsus non intelligerent, quid sibi uellet Iesus, qui posset dici moeror iis iniectus per illud dictum. Verum enim uero intelligebant quidem uerba ex ipso sono satis clara, quod occidendus sit Christus; quoniam uero haec cum conditione regni Christi, quod Pharisei ipsis propinauerant, propullulabat inde eorum tristitia, cum se inani spe delusos audirent.

§. XIV.

Quoad
resurre-
ctionem.

Aeque uero graue ac magnum dubium Apostolis enascabatur, cum a Christo sua resurrectio iis praediceretur. Haud enim persuaderi sibi poterant, qui euenire queat, quod uiui Dei filius mori ac resurgere possit, cum haec in *ψιλανθρώπος*, non autem *θεάνθρωπον* cadat. Hinc, mortuo nunc Christo, cum post triduum mulieres eiusdem resurrectionem Apostolis nuntiarent, *λήρος* autumabant hoc nuntium; *ολιγοπιστιαν* suam hac ratione declarantes. Non crediderunt, ait Ioh. XX, 9. quia nondum nouerant Scripturam; Saepius quidem audiuerant, Dominum Luc. XVIII, 34. de morte, passione et resurrectione uerba facientem; sed rei magnitudo et ingenii tarditas obstabat, quo minus ueritati huic adtipularentur.

tur.

tur. Verba ergo tenebant; sed non uerborum sensum; et sic erat ignorantia eorum culpanda, qua saepiuscule a Seruatore praedicta non alta mente reuoluerant.

§. XV.

Peruerse sane ac friuole hanc Apostolorum *ἀπιστιαν* de-
torquent nostra aetate nouarum rerum sectatores. Argu-
menta,
Hi enim haut erubescunt palam profiteri, quod, cum quae ex
ἀλιγοπισ-
τία Apo-
stolorum
nectun-
tur.
Christus incredulos discipulos tolerauerit, nec a salutis
aeternae spe excluserit, cuiuslibet etiam pro lubitu crede-
re liceat; Aiunt porro, sufficere, si quis credat Deum tri-
unum, et Seruatorem in plenitudine temporis coelitus
ablegatum ad redimendos homines, aeternae morti atque
damnationi obnoxios; de reliquis uero articulis fidei
quaedam statuere ac credere, cuiquam esse integram,
nec mali quicquam ex hac sententia extimescendum.
Hinc arguunt: Si Apostolorum fides, errores in articulis
fundamentalibus fouens consistere potuit. Ergo et nostra
aetate cuiuslibet credendi et errandi erit licentia, salua ta-
men fide, quanquam imbecilliori. Sed latet hic anguis
in herba; Omnis enim articulorum fidei Christianae
compages dirimitur, qua collapsa, cuiuslibet sic effrena li-
bere credendi licentia conceditur, et sic humana natura,
alias uaga, et ad quaeuis uitiorum genera prona, in abo-
minandos certe errores delabatur; In dubium enim sic
uocare quis posset: num articuli de beatitudine et inferno
quoque sint creditu necessarii? His autem praemiis pari-
ter ac poenis flocci habitis, maior animus crescet impio
impune peccandi, minuetur uero apud pie uiuentem,
cum nullum post hanc uitam ei supersit praemium. Quam

detestanda uero haec sit opinio, non tamen defuerunt, qui eam defenderent, mordicus eandem defensori et latius propagaturi. Aluit tam foecunda ingenia infelix hac ex parte mater Anglicanae ecclesiae, in qua tractu temporis publicis scriptis talia perniciosissima dogmata uiri docti disseminarunt. Infecit idem uenenum recentiori aetate Fanaticos, qui omni facile sententiae solent inhaerere, si fucus eidem offundatur. Euomuit hoc IOANNES MERCKERVS, Concionator Esseni, qui falso simul effinxit, primitiuam ecclesiam, et ipsos Christi discipulos fidei Articulos nec sciuisse, nec credidisse. ERI-CVS FRIEDLIEBIVS aperte dicit, ad consequendam aeternam salutem sufficere, nosse, quod Christus sit redemptor, aliis rebus plane neglectis. CHRISTIANVS HOHBVRGIVS idem propugnat scitum, addens, Christum Euangelium solum publice praedicare mandasse: Reliquos uero articulos commenta hominum esse, et nauici pendenda, alia ut fileam; Eadem uero peruersa sententiae uertigine agitatum praetendunt SY- NESIVM, genere pentapolitanum, urbe Cyrenaeum, cultu primum Gentilem, schola Philosophum Platonicum, qui praeter omnem spem uniuerso urbis Clero antepositus, a ciuibus Ptolemaidis Episcopus fuit postulatus, et a Theophilo, Episcopo Alexandrino, suffragio suo ornatus, cum tamen eundem peruersa opinio incesserit, resurrectionem corporum non esse sperandam. Quin et adeo tenax fuit semel conceptae sententiae defensor, ut hac conditione munus Episcopatus susciperet, quod erroribus inhaerere sibi liceret. Sed mox uanitas omnium hypothesis euanesceat, si curatius paulo eas examinauerimus.

§. XVI.

V. Demo-
criti

Opp. p.
616.

V. Vn-
sch.
Nach-
richt. T. I.
p. 138.

V. Coll-
berg. P. II.
p. 655.

§. XVI.

Indifferentistarum enim asserta quod attinet, nos ad ea Refuta-
regerimus, ab Apostolorum tempore ante resurrectionem Christi ad nostram aetatem non ualere consequentiam. Tunc enim doctrina de morte et resurrectione Christi erat mysterium, quod et introspicere Angelis alibi. 1. Pet. I, v. 12. ac uariis in crustamentis inuolutum proponebatur. Vtique enim mirum ac plane incredibile uidebatur apostolis, qui euenire queat, quod uiuus Dei filius uita priuari, ac resurgere possit. Accessit huc, ut iam dixi, praeconcepta de regno mundano opinio, quae oculos eorum adeo praestrinxerat, ut nec ulla ratione eadem ex mente, cui altius infederat, posset euelli. Nostra autem aetate plane aliter res se habet. Nunc enim nobis clarissime complementum huius uaticinii in Codice S. propositum deprehendimus, ut nullus ulteriori dubitationi, nisi ab Empaectis et ueritatis hostibus locus relinquatur. Quis igitur tam praefricatae erit frontis, ut, quod in clarissima luce est positum, neget, aut in dubium uocet, nisi omnem aequitatem ac pietatem eiurarit. Magis in eadem sententia confirmaberis, si probe consideraueris, quod status ecclesiae nunc sit immutatus. Tunc enim ecclesiae prima stamina iaciebant plantandae Apostoli, et in crepusculo quasi fidei uersabantur; fraude uidelicet Pharisaeorum purior de Messia doctrina erat obfuscata et peruersa. Erant quasi anni *δοκίμασι μοι*, ubi utique infirma erat eorum fides, ita ut fulcimento quodam haberet opus. Conf. Magnif. ac summe Reuer. D. MARPERGERI letztes Sünd-Opffer, pag. 846. qui itaque fieri poterat, ut plenariam fidem omnibus Seruatoris dictis ad-

hiberent, cum cor hominis adeo sit instabile, et natura quasi ferox, ut nil, nisi quod euidentissime apparet, pro uero habeat. Nunc autem per Dei gratiam ecclesia est plantata, et clarior Euangelii lux omnem terram collustrauit, ita ut nunc plenissimum fidei lumen ubique illucescat; si modo quiuis benigniorem hanc lucem admitterit. Qui autem studio oculos suos praestringit, quominus lucem sibi praesentem cernat, ille, spississimas tenebras incurrens, maximum sibi damnum attrahet, siquidem in sua malitia persistens, Apostolorum uestigia nunquam premet. Hi enim non pertinaciter in *ὀλιγοπιστία* haerebant, sed *κατ' ἀξίαν* a Seruatore increpati, mox illam admittebant correctionem, uti posthac Thomae exemplo patescit, qui publice profitebatur: *ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου!* Non enim ex infana mentis persuasione, aut proaeretica ueritatis diuinae reiectione, sed falsis inde a puero in fitis menti praeiudiciis Scripturae S. Seruatorisque testimonium de morte et resurrectione diu capere non poterant. Nec tamen penitus eiusdem dicti memoria apud eos interciderat, recondentes potius istud in corde suo, eiusdem memores erant salutariter, uti patet ex Ioh. II, 22. c. XII, 16. Luc. XXIV. Inerat sic illis lux fidei, licet obnubilata, et delitescerebat genuinum fidei semen in cordibus eorum, licet radices nondum egisset, aut extrinsecus prorupisset; hinc a Christo Matth. XI, 25. infantes, seu *νήπιοι* in Christianismo dicuntur. Frustraneum itaque in eo quaerunt asylum Nouaturientes: cum, si nostra aetate fidei articulos quis neget, proaeretice id fiat, nec ullo ignorantiae inuincibilis nomine possit excusari. Apostolis radix uerbi diuini erat

erat insita, uti olim Iobo c. XIX, 28, hinc toto corde credebant: quod Iesus sit uiuus Dei filius, et uerus Messias, quod exierit a patre, et rex Israël's populum suum sit redempturus. Prona inde consequentia colligere utique debuissent, quod nulla alia ratione ac morte et passione haec redemptio possit fieri, sed praeiudicio de terreno regno laborantes, et hinc mentis oculis excoecatis, huic argumentandi modo locum haud dabant. Ast radice fidei *ΛΟΚΙΥΣ*, cum affectis destituitur, eamque plane eradicare allaborat apud alios, propinans iis huncce errorem: quod articuli de morte et resurrectione Christi salua salute ignorari queant, cum tamen sine horum cognitione Paulus fidem nostram uanam perhibeat, *1 Cor. XV, 17.* quae uero si uana, testante scriptura salutaris spes collabitur. Quid? quod friuolam hancce sententiam optimi Seruatoris effatum discipulis Emaunticis *ὀλιγοπιστίας* morbo laborantibus refellit, dicentis *ἀκριβώς*: nonne oportebat haec pati Christum et gloriam suam intrare? quo ipso illos euidentissime conducere uoluit, quod tanta urgeat necessitas saluandum haec credendi, quanta Christum adegit patiendi ac resurgendi.

§. XVII.

Friuolum sane ac lubricum in eo quaerunt asyllum hy- Argu-
peraspistae aduersae sententiae, quod sic peruersè col- menta
ligant: Si Christus discipulos suos ob errores in Artic- aduersa-
lis fidei fundamentalibus et *ἀπιστίας* non condemnauit: riorum,
Ergo et nostra aetate nullus mortalium ob errorem fidei cum refu-
fundamentalem damnationis reus agetur. uid. *Altes und*
Neues. an. 1706. p. 571 Sed dispar plane Apostolorum
hodi-

hodiernorumque Indifferentistarum est ratio. Error enim Apostolorum licet uersaretur circa fidei fundamentum, passionem et resurrectionem Christi, fulmine tamen statim damnatorio eosdem percutere neuiquam pro immenso suo erga eos amore ducebat aequum Seruator. Non enim cum finali pertinacia aut uera *ἀπιστία* erat coniunctus eorum error; Hinc ipse Christus erga illos, ac *μηδὲ*, paterne se gerens ui suae omniscientiae praeuidebat, quod ad meliorem mentem sint redituri, quin ipsi discipuli, meliora a Seruatore edocti, nuntium erroneae mittebant sententiae. Euoluat modo quibus harum rerum incredulus Epistolas Petrinas, adeat scripta Ioannaea, unde mutatus eorum animus facile patefcet. Magnum hic intercedit discrimen utrumque errorem ratione originis et finis. Error nempe Apostolorum ex imbecillitate resultabat, quippe quae ex falso praeciudicio erat oriunda. Notra uero aetate proaereticè praefringunt sibi oculos aduersarij, et ex pruritu rerum innouandi, articulosque fidei impugnandi studio hic error apud eos propullular. Odio enim plus quam Vatiniano in ueritates Theologicas exardefcunt, et hunc in finem omni feruntur impetu, ut fidei fundamentum destruant, quo collapsò, errores suos alijs propinent, et sic a recto tramite ad deuiam deducant. Errori uero Apostolorum hic subesse finis uidebatur, ut eo augustiores acquirerent honores. Facile enim quibus largietur, quod illi, si Seruator, uti sibi persuaferant, regnum mundanum instituisset, ad summos honorum gradus essent prouecti.

§. XVIII.

Ast nec hoc forsân praetermittendum, quod ἀπιστίας **Homo**² uocabulum dupliciter in Scriptura Sacra accipia- nymia
tur. Saepius enim sub nomine ἀπιστίας imbecillitas fidei uocabuli
intelligitur. Id in confesso positum reor, quod omnis fi- ἀπιστίας.
dei gradus, qui a B.SCHERZERO in Breuiario ex-
tento triplex iuxta gradum animae dicitur, uegetatiuus
seu notitia, sensitiuus seu assensus, et rationalis, seu fiducialis
uicissitudinem quandam admittat. Quandoque enim
potest euenire, quod tenuiori quidam gaudeat notitia, fir-
missimam tamen eorum, quae nouit, persentiscat fiduci-
am. Quotiescunque, quae so, deest cuiquam occasio, as-
sequendi plenariam et sufficientem notitiam; Produ-
co iam in medium eos ex Papatu, quibus crepuscu-
lum uerae fidei illuxit. Praeueniente, puta, Spiritu
Sancti gratia adiuti eo adiguntur, ut suam religi-
onem falsam, nostram e contrario ueram persentis-
cant; fulmine uero anathematis papalis icti, publice
profiteri ea, quae putant, erubescunt. Ecquis autem est, qui
firmissimo assensu et plenaria conuictione de fidei agnitae
ueritate destitutos eos friuole asserat, licet diuinas incur-
rant poenas, eo quod uanus mortalium timor a ueritatis
publica professione eos arcuerit. Testem antea dicto-
rum habeo Paulum, qui Ebraeos ait *χρειάν ἔχοντες γάλα-* Ebr.V, II.
κτος, καὶ ἂν σερεῖας τροφῆς. Quin et crescere Colossenses
iubet in cognitione Seruatoris Iesu Christi. Qui uero Col. I, II.
incrementa potest capere, illum ab exiguis initiis ad ma-
iora assurgere oportet. Non aliena hinc inde uidetur
huc referri similitudo ab humana aetate defumta, ubi par-
uulus ad maiores successiue annos prouehitur. Pare
D
por

porro uicissitudinis fortem admittit assensus. Saepius enim multa cuiusdam sunt nota, quae tamen ille uera haud reputat. Scire u. g. potest homo curatori doctrina haud perpolitus, quod detur in Christo communicatio idiomatum per unionem personalem facta. Sed hoc mysterium cum captum nostrum excedat, et sola diuina fide credidatur, uacillat multoties assensus, et ratio sibi relicta plane negat, nisi accedat perficiens gratia Spiritus Sancti. Eodem morbo laborabat Thomas, assensum ceteris Apostolis Christi resurrectionem affirmantibus denegans. Probe tamen et hic differentia inter eius incredulitatem, et obstinam Pharisaeorum perseverantiam in *ἀπιστία* est attendenda. Thomas ex infirmitate carnis, nimium suis sensibus suaeque rationi indulgens, negat se posse credere Christi resurrectionem, nisi ocularem quasi et palpabilem fidei demonstrationem habeat. Sed Pharisaei in conscientia sua de ueritate resurrectionis Seruatoris conuicti, eandem pertinaciter oppugnant, custodes sepulchri pecunia corrumpunt, ut corpus Christi furto sublatum esse mentiantur, et hac ratione suae conscientiae testimonium de Christi resurrectione opprimere conantur. Et quamuis Thomas dicatur a Spiritu Sancto *ἀπιστός*, notum tamen est, per *ἀπιστίαν ἀληγοπιστίαν* frequenter indicari, uti haud infrequens Scripturae est locutio. Sic lunatici pater, angore uocem fere praeculudente, ait: Credo, Domine, adiuua meam *ἀπιστίαν*. Sic ipsi Seruatoris discipuli prae gaudio haud credidisse dicuntur. Luc. XXIV. Superfedeo iam alia proferre sanctorum exempla, infirmitatem fidei quoad plenariam fiduciam condocentia, quibus repleta est omnis Scriptura Sacra.

Marc. IX,

24.

§. XIX.

§. XIX.

Alia vero incredulitatis est ratio, quae per ἀπίστας uocabulum in Scriptura S. indicatur, et omnem correctionem respuit. Haec sine tenus perseverat, et licet sufficiens addit notitia, deest tamen assensus, et necessaria fidei pars, quae utramque fere absoluit paginam, desiderio flagrans appropriatio bonorum per Christi meritum partorum; Inest haec finaliter non nisi impiis et Satanae compedibus irretitis. Potest equidem fieri, quod et ii, qui antea firma fide perstiterunt, fiant *περόνταρο*, i. e. excidant ad tempus statu gratiae, uti exemplis Dauidis, Saulis aliorumque contra Bezam, Zanchium aliosque eiusdem farinae homines probamus. Sed a recuperabilitate fidei exclusos eos neutiquam dixeris, cum praevio cordis dolore ferio, fide ad Deum omnibus redeundi pateat uia.

§. XX.

His positis, aduersariorum error luculenter incurrit Refutatio
oculos. Quis enim, quaeso, illi, qui circa Articulos erroris.
fidei fundamentales errorem fouet, omnemque correctionem respuit, beatum ausit dicere? cum sic dogmaticum et organicum fidei fundamentum tollat. Nostra enim aetate plane alia est ratio, quae fuit aeuo Seruatoris. Apostoli ante resurrectionem Christi destituti erant complemento Euangelii, et hinc fidei *λεπιθυμία* laborabant. Nunc autem pleniori luce radiat lux Euangelii, et detecta facie claritatem Domini licet nobis intueri; Si uero quispiam splendorem lucis non admittat, et doctrinam de Christo eiusque merito pro articulo non fundamentali habeat, media salutis respuat, eius ordinem inuertat, ac

ex ecclesia eliminare studeat, quis, quaeso, eum uitae aeternae haerem aufit dicere. Qui enim non habet filium, ait Ioannes, non habet uitam. Filium uero nemo, nisi fide in Euangelio reuelata, et omnibus acriter iniuncta gaudeat, potest habere, hanc autem talismodi praefrictae frontis homo haud recipit; Ergo uitam aeternam eidem addicere haud poteris ex clarissimo Seruatoris effato. Ioh. III, 18. Qui non credit, ille iam est iudicatus, quia non credit in unigenitum Dei filium.

§. XXI.

Refutatio
Fanaticorum.

Eadem fere chorda, uti dixi, oberrant Fanatici, qui eiusdem erroris insimulant primitiuam Ecclesiam; sed quam friuole id fiat, adyta historiarum adeunti in oculos incurrit; Apostolos nempe ac ecclesiam post effusionem Spiritus S. omnes articulos fidei sciuisse, credidisse, et defendisse facillime constat. Testantur id scripta Apostolorum Θεόπνευστα in Scriptura S. consignata, quibus primitiua ecclesia tam firmiter adhaesit, ut statim Seculo dicto controuersiam de circumcissione abroganda ortam in Concilio Hierosolymitano Apostoli dirimerent, cuius historiam Lucas Act. XV. nobis reliquit. Quid? quod Paulus, Petrus ac reliqui Apostoli passim erroneas sententias refutarunt, unde patescit, quod ipsi fidei articulos et sciuerint, et crediderint. Ipsa nunc ecclesiae penetralia si intremus, eam inde a primordiis haeresibus fuisse infestam deprehendimus. Aduersarium equidem hic persentiscimus DODWELLVM, Historiarum in Oxoniensi Academia Professore, qui Hegessippi auctoritate, aliisque argumentis euincere conatus est, haereticos ante an-

annum Christi 116. manifestam ab ecclesia discessionem non fuisse professos, sed os dudum illi obstruxit ITTIGIVS in Histor. Ecclesiastica Seculi I. p. m. 490. nec non in Dissertatione, Libro de haeresiarchis praefixa, ubi clarissime comprobatur, quod multae haereses primo iam seculo ecclesiam, qua puriorem, diuexarint. Ut unum saltem attingam errorem. Nicolaitae, qui ad exemplum Balaami et Iesabelis V. T. docebant de idolothytis comedere ac fornicari esse licitum; Apocal. II, 14. 20. publice damnabantur; Eadem fors aliis contigit, quibus Libri historiarum scatent, ut prolixior esse non debeam. Haud quam uero Haereticorum erronea opinio, omni ecclesiae, qua purior fuit, est imputanda. Fanaticorum uero hypothesein quod attinet, ex instituto eandem refutauit D. IOH. FECHTIVS in Exam. Theol. Indifferent. Cap. VI. et VII. caeterique magni nominis Theologi.

§. XXII.

Alienum demum SYNESII hic adducunt aduersarii exemplum, qui mortuorum resurrectionem pernegando perniciosissimum fouens errorem, Episcopatus tamen munus obiit. Relatum enim legimus, Theophilum uarium, subdolum, uarium, temporis inservientem uirum, (quo elogio illum mactat DVPINIUS Biblioth. T. 3. p. 150.) fuisse, hinc facile euenire potuit, ut auram popularum captans, ciuium sententiae ad stipulatus fuerit; Nec mirum est, quod Synesius corda ciuium obsederit, dum probe dicendi facultate polluit. Missus ea propter est a patria urbe circa annum 400. ad Arcadium Imperatorem, oratoris mania obiens, coram quo orationem habuit.

omni

Refutatio
falsae hy-
pothese-
os de Sy-
nesio.

omni auro, ut aiunt Critici, cariorem. Vid. GVIL. CAVE Histor. Liter. p. 213. Dotibus itaque a benigna natura ornatus, ad maior es honores euectus est. Adfunt interim uestigia mutatae in Synefio mentis post Epifcopatum fufceptum, admiffaeque religionis Christianae etiam in illis doctrinae capitibus, de quibus ante dubitauerat. Vid. SPANHEIMII Opp. p. 1022. DV PINIVS, l. c. p. 506. feqq. it. PHOTII Biblioth. num. 26. Quod autem tunc temporis in ecclefia uariis inordinate geftis, accidit, hoc neutiquam ad nostrum ftatum, rebus nunc omnibus bene digeftis, potest applicari, cum nec multitudo errantium pariat errori patrociniũ.

§. XXIII.

Conclu-
fio.

Vela nunc huius Difputationis contrahimus, Deum animitus precantes, uelit nos in fide Apoftolorum conseruare ac corroborare, omnibus uero infimul haeresibus ac scandalis enafcituris obicem ponere, ne post hac latius fufiusque uagentur, ac maiora ecclefiae temporibus hifce gemendis damna inferant.



94.A 7578

ULB Halle 3
002 715 147




f

sb.

1007

Oct 1999







Q. D. B. V.
DISPVATIONEM INAVGVRALEM,

DE
FIDE
APOSTOLORVM,
TEMPORE CHRISTI IN HIS
TERRIS DEGENTIS,

SVB PRAESIDIO
IO. GEORGII ABICHTII,
S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS, EIVSDEMQUE
PROFESSORIS PVBLICI, SENATVS ECCLESIA-
STICI ASSESSORIS PASTORIS ET SVPERIN-
TENDENTIS GENERALIS,

IN ALMA VITEMBERGENSI,
PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES RITE
CONSEQVENDI,
ERVditorVM DISQVISITIONI
DIE II. AVGVSTI MDCCXXXV
SVBIICIT

M. SIGISFREDVS BECKIVS
PASTOR CYGNEENSIS, EIVSQUE DIOECESEOS
SVPERINTENDENS.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA FICHSFELDIANA

